Neque nobis imparent huiusmodi Larvae, Lemures
et Struthiones. Dominus enim ait: Non
deseram vos orphanos. Quare obsecro sis vir
fortis, viriliter age, et confortetur cor tuum,
Expecta dominum, et Christus ociusque aderit nobis, suppe-
ditando medio, quod nobis impossibile est ex-
cogitare. Et tandem vindicabit nos, et sanctum
Electorem, dominum D. Ioh: Frid: Ducem Saxoniae
cum suis omnibus Christo addictis liberabit. Amen.
O utinam hodie adesset laetissimus Christi ad-
uentus. Amen. Deus det ut cum gaudio
expectemus eius iudicium. Data domi: Exaudi
1548

V. R. Pat:

deditissimus

Casper Aquila
pastor et superinten-
dens in Salfeld:

Reverendissimo et Celeberrimo viro, pietate,
stemmate et virtutum integritate clarissimo
Dno. Nicolao ab Amsdorff Numburgensis
Provinciae Episcopo summo suo in Christo
Maiori, et vero amico constanti.

Gratiam et pacem per Jesum Christum dominum nostrum pro-
tectorem adversus virulentam Sphingem Chymaeram
INTERIM Cerberum.

Nobiles isti ac strenui de familia Burghritz
Gangolffus, Hartmannus, ac Sebastianus,
vocarunt illum Adolescentem Georgium Götz,
ex oppido Usnick, ut fungeretur munere
Pastoris in pago Eichich, et qui fuit aliquam-
diu auditor florentissimae nostrae Academiae
Wittenbergensis, et operam Theologiae dedit,
Ita pollicitus est data fide, se pure velle docere
verbum dei, et secundum Christi praescriptum Sa-
cramenta administrare. Et quia audio ipsum
abhorrere a phanaticorum erroribus, Commendo
eum Tuae Excellentiae. Si enim certum me-
thodum purae doctrinae tenuerit, non dubito,
quin Reverentia tua eum ad hanc arduam
provinciam inaugurabit impositis manibus
et ardentissimis votis, ut commodius sacrum
Christi Evangelium syncere propagare queat,
in dei gloriam et Ecclesiae suae commodum.
Vale amplissime praesul, et pro me, qui nunc sum
ab adversariis plus quam unum κάθαρμα καὶ
περίψημα reputatus, misello, domino orabis,
ut Sathanam et hos Aspides Interimisticas
sub pedibus nostris conterat. Amen.

Dominus Jhesus similiter nos suo spiritu principali
ne traditi ipsorum impiis diluviandis succum-
bamus, sed fortiter Tyrannis insultemus,
Ut cogerent nos amplecti veram doctrinam,
et spiritum laetitiae nobis dare testimonium
sua praesentia, etiam in ipsissimis saevis ~~prim~~
Tormentis, quemadmodum Stephano contigit. Vale et
sis Vir fortis, Tu ne cede malis, sed contra
audentior ito. Ego vado Immolari, Ut fiam
odor Christi bonus, Sed reposita est mihi Corona
Iustitiae etc. Haec spes mea in deo: qui solus no-
vit Immolationis meae horam, Ille quoque adsit
nobis sua immensa gratia, qui ait: Non deseram
vos. Dominus Jhesus Christus Aeternum. Amen. Datae
sub: Egidii ubi Nymrothi saeviunt inferas
deserti. 1548.

Vestrae Reverentiae
deditissimus
obediens discipulus

Caspar Aquila
Pastor in
Salfeld, sed
nunc ubi Ignoro.

Philippus Melanchthon ad pastorem Suterum,
scribens de non recipiendo libro Augustano, quem
INTERIM vocant M.D.XLVIII
post conventum Augustae habitum.

Reverende Vir, utrum editione Augustani libri
quaesita sit Ecclesiarum concordia, an vero oppressio
veritatis et vastatio Ecclesiarum et occasio expellendi
ac interficiendi pios Evangelii ministros, iam
res ipsa declarat. Urbs Ratispona fuit
supplex Imperatori, ne Ecclesia mutaretur. Haec
deprecatio adeo non deflexit Imperatorem, Ut uno
die septem Evangelii ministri pulsi sint, et templa
clausa. Brentius, cuius diligentia non solum
ad erudiendas et ornandas multas Ecclesias,
sed etiam ad pacem suae viciniae profuit, expulsus
est ex Salinis. Musculus ex Urbe Augusta.
Propter has Victorias Cardinalis Augustensis Tro-
phaeum erexit, in quo Carolo Imperatori gratias
agit de restituta concordia.

Cum igitur constet, quaeri oppressionem Veritatis, et
occasionem saevitiae exercendae in homines pios et doctos,
Nos ipsi neutiquam assentiemur illi Augustano libro,